

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller Nikolaus Schooff

Miscellarum Theologicarum Decas

Rostochi[i]: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774783850>

Druck Freier  Zugang



R U Theol 1663

Heinrich Müller, Presb.

Herr. Nicolaus Schooff, Rep.

Fragm I - X

R U Theol. 1663.

Heinrich Müller, Pres.

Nicolaus Schooff, Rep.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774783850/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774783850/phys_0002)

DFG

I. N. D. N. J. C. A.

2

MISCELLARUM THEOLOGICARUM DECAS

Quam
Consentiente Collegio Theologico
in Academia Rostochiensi

PRÆSIDE

HENRICO MÜLLERO,
SS. Theol. D. & Professore Ordinario,
ad Div. Mariæ Pastore,
Proponet publice

NICOLAUS Schooff Lübecensis,
Philos. Candidatus.

In Auditorio majori d. 30. Maii.



ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1663.

A.
R. H. Theol. 1663.



V I R O

*Admodum Reverendo, Amplissimo,
& Excellentissimo*

Dn. MENONI HANNEKENIO,
SS. Theolog. Doctori celeberrimo, &
Eccles. Lubec. Superintendenti emi-
nentissimo,



V I R I S

Plurimum Reverendis, Clarissimis

Dn. M. DANIELI LIPSTORPIO,
Reverendi Ministerii Lubecens Seniori
& Templi Cathedralis

Dn. M. JACOB O Stolterhoff
Templi Mariani

Pastori
gravilli-
mo.

Dn. M. HENRICO Engenhagen,
Templi Jacobini

Dn. M. JOHANNI REICHO,
Templi Ægidiani

Dn. M.

1926. 3. 455

DN. M. HUBERTO KOHNIO,
DN. JOHANNI NICOLAI,
DN. M. JOHANNI REIMARO,
DN. ALBERTO BALEMANNO,
DN. M. ERASMO Möllenhoff /
DN. JOACHIMO WENDINO,
DN. LUCAE Stein /
DN. M. BERNHARDO Krechting /
DN. HERMANNO Dakendorff /
DN. M. DAVIDI Helms /
DN. JACOBO Götten /
DN. M. GERHARDO SIRICIO,
DN. M. JOHANNI SCHACHTIO,
DN. THOMAE Karstens /

Archidiaconis, cæterisq; Eccles: Lube-
cens. symmiftis fidelissimis

Dominis Fautoribus ac Promotoribus
suis omni observantia ætatem
colendis.

ETIPAT-

EYIPATTEIN.

Anus fere præteriit, Dni. Preciosissimi, ex quo Lubeca relicta, huc me retuli, ut studiorum Academiarum telam in eodem, quo inceperam loco, pertexerem. Studiorum verò Theologicorum, cum non minima pars sit, judicio recte sentientium, Polemica sacra, non solum privatim me in eâ exercui, verum etiam publicum quoddam testimonium disputatione Theologicâ, more in Academias consueto, edere volui. Hanc disputationem me Vestris Pl. Reverend. Dignit. debere insicias ire non possum, quare non diu tergiversatus sum Vestris Nominibus Excell. & Clariss. illam inscribere. Accipiatis quo, prout soletis, hoc est, fronte serenâ, & equo animo: Cumq; satis insignem plurimorum vestrum benivolentiam sâpe deprehenderim, ut alteriori amore & favore me complectamini, & mea studia vobis commendatisuna habeatis: summopere contendeo. Sic defatigabo semper summum Numen precibus meis, ut in commodum Ecclesie proh dolor! afflictissime vos omnes quam duntissime salvos & incolumes conservet.

Dabam Rostochii

Ao. M. DC. LXIII. Mens. Junio.

Vestrarum plur. Rever.
Excel. & Clarit.

Observantissimus

NICOLAUS Schooffi



Questio I.

Ancaro Christi in triduo mortis fuerit
sine omni vita?

Uia propter σειχώσην personalem
πάντα τα καθίκεντα τῆς Γεωγραφίας carnirealiter
communicatum est, ideo caro
Christi virtutem habet vere vivificam Job. V, 26. non tantum ratione
meritis, sed etiam in se, quanquam
non subjective.

S. 2. Atque hinc corpus Christi tempore passionis demortuum, ut ut caruerit *vita naturali*, non tamen desitutum fuit vita personali, quam ex immanentia ^{Ex} *Agoy*s possedit.

§. 3. Ideo quoq; corpus Christi corruptioni non fuit obnoxium, non solum ex *absentia cause corruptentis*, peccati; sed etiam ex *presentia cause conservantis*, vita nimis rurum filii Dei, realiter carni communicatæ.

§. 4. Erat quidem dissoluta tum *unio animæ & corporis naturalis*, unde mors vitæ naturalis privatio: verum indissoluta divinitatis & humanitatis *unio personalis*; sed *excep-*

²
et penitissima Deitas humanitatem immeabat etiam in ipsa morte carnis. Ideoq; vita vere divina carni competebat etiam in media morte.

§. 5. Nec est, ut quæramus curiose, *an in triduo mortis divinitas conjuncta fuerit anima, an corpori?* Ab utroq; man- sit inseparabilis, & quia infinita ac simul ubiq; præsens est Deitas, tota & impartibilis utriq; simul tam animæ Christi, quæ erat in paradyso, quam corpori quiescenti in sepulcro, unita fuit. Quamvis anima & corpus separata erant ~~in se~~, tamen ~~in se~~ unionis personalis nexus, in uno velut tertio cohæabant, ut vita nostra vere fuerit abscondita in Christo etiam mortuo. Conferatur Bonaventura *in lib. III sentent. distinct. XXI, quest. 1. & 2.*

Quæstio II.

An corruptum hominis arbitrium possit dici liberum?

§. 1. Dari in homine etiam post lapsum liberum arbitrium si quis negat, certe abesse abs homine lapsi & animam rationalem, & omnem vel ad peccandum habilitatem acti- vam, vel passivam ad salutarem sui conversionem is affirmat. Peccato Ade liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, ait Augustinus *lib. II ad Bonif. c.s.*

§. 2. Depravati hominis arbitrium liberum est à coacti- one. Dum malum operatur homo, facit id non naturali & coactitia necessitate, sed voluntate libera. Peccatum nostrum voluntarium est, inquit Augustinus *disp. I contra Fortunatum*. Et Lutherus *deserv. arbitr. c. 44. Judas Christum predidit volen- do, non coactus.*

§. 3. Libertatem quoque habet homo corruptus in re- bus

bus exterioribus suæ potestati subjectis, sic tamen comparatis,
ut variis modis impediri possint. Recte Lutherus lib. de
serv. arbitr. cap. XLIX. Quod si omnino vocem liberi arbitrii
omittere volumus, quod esset tutissimum & religiosissimum, bona fide
tamen etenus uti doceamus, ut homini liberum arbitrium non respe-
ctu superioris, sed tantum inferioris rei concedatur: hoc est, ut sciatis
se in suis facultatibus & possessionibus habere jus utendi, faciendi,
omittendi pro libero arbitrio, licet & id ipsum regatur solius Dei li-
bero arbitrio, quomodo cum illi placuerit.

S. 4. Præterea corruptum hominis arbitrium liberum est ad malum. Sicut Angelus bonus in uno extremorum, in bono scil. liber est; ita homo corruptus libertatem habet ad malum, alterum scil. oppositorum. Quo sensu Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. c. XV. Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.

S. 5. Peculiariter sensu corruptum hominis arbitrium nominatur liberum à justitia, Rom, VI, 20. Quæ libertas est vacuitas quædam. E&ḡo enim inter alia notat liberum, immunitum. Et verbum e&ḡo nonnunquam dicitur de fugitivis liberis vagantibus. Augustinus l. c. Libera voluntas à justitia liberata est, quando servit peccato, & tunc est mala.

S. 6. Corruptum deniq; corrupti hominis arbitrium vocari potest liberum, non quidem ratione actualis habilitatis & inclinationis ad spiritualem libertatem, quasi in se & ex suis vribus illam inclinationem ad sui conversionem habeat; Sed partim ratione possibilitatis, quia potest fieri liberum ex alio principio; partim ratione liberationis per Christum acquisitæ, qua humani arbitrii ex statu servitutis in statum libertatis assertionem promeruit Job. VIII, 36. Lutherus Tom. I Jenens. Latin. Dico, quod homo babet liberum arbitrium, non quia si modo quale fuit in Paradiſo, sed quia potest fieri liberum, & fiat liberum,

alioquin vere est servum arbitrium. Non igitur liberum arbitrium tam à facto esse, quam à debito esse dicitur.

Quæstio III

An ex verbis Litanie, du wollest deinen
Geist und Kraft zum Worte geben / probari possit,
virtutem Sp. S. ab extra verbo supervenire
in salutari demum usu?

§. 1. Verbum DEI est *Geist & Kraft*, & sine *Geist & Kraft* ratio-
ne tum ortus, tum efficacie non est DEI verbum ac consequen-
ter *Geist & Kraft* vel divina efficacia ratione *actus primi* ad essen-
tiam & internam verbi perfectionem pertinet.

§. 2. Spiritus S. cum verbo DEI unitus est *intrinsecus*
& *inseparabiliter*, vi cuius unionis virtus & potentia verbi est
ipsius Spir. S. potentia, & non *alia*, licet aliter insit Spiritui
S. aliter verbo, illi *essentialiter* & *originaliter*; huic gratiose &
communicative, ex divina ordinatione.

§. 3. Accurate vero hic distinguendum est inter *ipsum*
DEI verbum, quâ divinum, & *externam verbi administrationem*
per ordinarios ministros. *Ipsum* DEI verbum ratione suâ
Geist & Kraft, uti semper in se habet Spiritus S. animationem,
seu virtutem ad supernaturalium effectuum productionem,
ita non opus habet nova & iterata elevatione à causa prin-
cipali forinsecus adveniente. Quod vero attinet ministeri-
arialem verbi administrationem, ea uti in se & ex se humana
est ratione externi soni, ita necessario ex necessitate divinæ
ordinationis opus habet in usu ministeriali elevatione ad
salutaris effectus productionem.

§. 4. Verba Litanie non loquuntur de *natura verbi in se considerati*, sed 1. de *externo verbi ministerio*. 2. de *salutari verbi predicatione*.

predicati incremento, & fructificatione in cordibus omnium auditorum. Solenne est Theologis Orthodoxis voce Spiritus designare prædicati verbi operationem. Vocem quoq; germanicam Kraft notare verbi divini non actum primum, sed secundum s. operationem, liquido demonstrant latina Litaniae verba, ex quibus Germanica explicanda sunt; Terrogamus peccatores, ut incrementum verbi & fructum spiritus cunctis audientibus largiri digneris.

Quæstio IV

*An locus Marc. XIII, 32 De die illo nemo scit,
nec ipse Filius, inferat, Christum quædam revera ignorasse?*

S. 1. Variis commentis locum hunc explicare contendit Antiquitas. Ambrosius lib. V de Fid. ad Grat. c. 8. existimat, ab aliquibus hereticis particulam hanc, neque Filius, additam fuisse. Theophylactus super b. l. scribit, Christum amphibologice ad quæstionem curiosam aliud sensisse, aliud dixisse. Origenes homil. XXX Christum sentit locutum de corpore suo mystico. Epiphanius barec. LXVIII Nescit, id est, non diligit, sicut illud, Nescio vos. Nazianzenus Orat. IV de Theol. nescire Christum ait ex se, vel naturaliter, quia omnia acceperit a Patre. Secundum Hilarium l. IX de Trinit. Basilium lib. I. cont. Eunom. Hieronymum in Matth. XXIV Chrysostomum Homil. XIV in Marcum. Augustinum l. I de Trinit. c. 12. nescivit ad dicendum.

S. 2. Scholastici triplicem constituant ignorantiam, prava dispositionis primam, privativam secundam & tertiam, pure negationis. Hoc loco Christo homini tribui censem

non primam, nec secundam, sed tertiam, nescientiam nempe puræ negationis.

§. 3. Damascenus lib. IIIc. 21. distinguit inter humanam Christi naturam ψιλὴ ιδεία vel nude consideratam, & inter unitam τῷ λόγῳ ὑπερπικήν. Priori modo ignorantem fuisse dicit, vel, ut loquitur Athanasius serm. IV contra Arianos, ignorati abnoxiam, quatenus vero Verbo personaliter unita est, recte dici omnisciam. Non solum enim ad divinam, sed ad humanam quoq; Christi naturam illam perfectionis prærogativam pertinere, quam Christo assignat Apostolus Coloss. II, 3. In quo sunt omnes thesauri sapientie & scientie absconditi. Hoc sensu Justinus Martyr quest. LVIII. impietatis extrema dicit, adscribere Christo ignorantiam. Athanasius l. c. insaniam vocat, & verbum, quod omnia novit, à talibus condemnari, ait. Epiphanius in Ancorato, maledictionem & Ambrosius loc. supr. citat. sacrilegam interpretationem nominat. Ad rectius refertur hæc Christi ignorantia ad illam Christi nūrrōw, de qua Paulus Phil. II.

§. 4. Themistium Agnoëtarum s. Authorem s. Patronum Synodus VI Constantinopol. (cujusmeminit Barth. Caranza in summ. Concil.) actione n̄ damnavit, ubi in Epistola Sophronii hæc legimus; Anathema sit quoq; Themistius, qui fuit ignorantie pater & genitor atq; seminator nefandissimus: qui Christum verum D E U M nostrum diem judicii ignorasse delirabat: nesciens quid ipse jam à D E O projectus affereret, & non recognoscens que ignorando loquebatur. Nisi enim ignorasset verborum suorum, non utiq; letiferam ignorantiam peperisset, & ignorantie fœditatem ferventer defendeleret, ignorare Christum, non secundum id quod DEUS erat sempiternus, sed secundum quod veraciter homo erat factus, diem consummationis atq; judicii eructans, & purum eum efficiens hominem, & hac monstrositate se deformans Acephalum, & naturam unam ejusdem Christi Salvatoris nostri compositam vaticinans.

Questio

Quæstio V

An ex eo, quod Gal. V, 6. Fides dicitur
d' ἐργάσις τοῦ πνεύματος, recte inferatur, charitatem esse
fidei formam assistentem & externam?

§. 1. Ita vult Bellarminus, qui verba textus sumenda esse dicit *passive*, non *active*, ut sit sensus, fidem moveri à charitate. Similiter explicat Cornelius à Lap. *comm. in b. l.* his verbis; *Fides non operatur per charitatem, sicut causa efficiens operatur per instrumentum suum, sed sicut dispositio operatur per formam, ad quam disponit: ut calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumq; ignire & in ignem convertere: ita fides per charitatem operatur opera bona, efficiendo scil. actus charitatis D. E 1* & proximi, ac imperando actus aliarum virtutum. Charitas enim est quasi forma, non essentialis sed accidentaria, qua fidei & omnibus bonis operibus vitam, valorem & meritum tribuit in ordine ad ultimum finem. &c. Verbum ἐργάσις significat internam vim, occultam efficaciam & energiam, q. d. *Fides charitate formata, eaque quasi anima sua animata per intimam quandam vim & spiritualem suum influxum opera virtutum vitalia operatur.*

§. 2. At nos charitatem esse fidei formam negamus, & potius esse effectum fidei dicimus, per quem fides antea completa sese exserit & manifestat, ut sit sensus, fidem vivam per hunc actum secundum ostendi esse vivam, quemadmodum homo vivus declarat se esse vivum per actus secundos, nempe ambulationem, locutionem &c.

§. 3. Probamus hoc à pbrasi textuali; Per quod quid tantum actum secundum operatur, id non potest operantis esse formam vel assistens vel informans. Atqui per charitatem fides &c. E. &c. Major inductione clara est. Minor est in textu. 2, à perfectione fidei;

dei; Quod jam in se est perfectum, id non perficitur à charitate ut forma. Fides &c. E&c. Præmissæ sunt indubia veritatis. Ex veris præmissis vera sequitur conclusio, 3. ab effectu fidei; Quod perficit charitatē, formā à charitate accipere nequit. Atqui fides &c. E. &c. Major patet, quia implicat perfici & perficere simul. Minor, quia sine fide sicut omnia bona opera, ita quoque charitas est mortua. 4. à causa fidei; Id quod est ex lege nō potest esse forma illius, quod est ex Evangelio. Atqui charitas &c. E. &c. Major probatur, quia Evangelij nō perficitur ex lege, sed potius lex ex Evangelio. Evangelium enim est legis complementū. Minor claret, quia charitas consistit ex mandatis quatenus mandata sunt. 5. à testimonio Patrum; Ambrosius comm. in b. l. dicit; sola fide opus est ad justificationem. Ait quidem etiam, charitate perfici fidem, sed non ceu per formam, sed sicut per signum. Hieronymus hunc locum explicans reciprocationem instituit, dicens, & charitatem esse sine fide mortuam. Inde patet, quod charitatem non habeat pro forma fidei. Chrysostomus comm. in b. l. Non solum, inquit, opus est, ut credamus, sed ut operas faciamus, quia bis deum ostendimus, nos esse in fide. Theophylactus in b. l. Omnia ex fide pendent, quæ debet semper viva communistrari per dilectionem.

§. 4. Ortus est hic error Pontificiorum ex male intellecto à Scholasticis loco Jacobi cap. II, v. 26. ex quo argumentabantur hoc pacto; Fides sine operibus mortua est, sicut corpus absq; anima mortuum: Ergo sicut se habet anima ad corpus, ita & opera ad fidem. Atqui ut forma &c. Cum tamen Jacobus non loquatur simpliciter de forma informante, sed spiritu respirante, sicut per respirationem homo cognoscitur esse vivus, ita & fides tunc dicitur viva (ostensive) cum sese per opera exserit.

§. 5. Vocis ἐνεγγέμενη passivam significationem quod urgeant Pontificii, quis non mirabitur? Præterea enim, quod

9

non est sine folœcismo, versioni Vulgaræ quoque est contraria, quæ tamen multorum Pontificiorum judicio authentica haberi debet. Paulus aliquoties usurpat hoc verbum, verum nullibi in passiva, sed ubique in media significacione. Ut taceam, non conyenienter posse hanc vocem reddi passivè, quia deberet dici; *Mota à Charitate, non, per charitatem*, id quod Græci in sua lingua in usu non habent.

§. 6. Nec adversatur nobis, quod habet Bernhardus de resurrect. Dom. serm. 2. *Vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit.* *Vita vero fidei charitas est, qui a per illam operatur, sicut in Apostolo legis 3 fides, que per dilectionem operatur.* Unde & refrigerescente caritate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Nam non loquitur Bernhardus de fide interna & professa, sed externa & proficiente 2. vitam considerat non formaliter & intrinsecè, sed ostensivè & signotenus, ut sensus sit; Fidei externæ vita est cooperatio cum operibus ad perfectè notificandam fidem salvificam, & ostendendam coram Deo factam justificationem. Fidei autem internæ quasi principium formale vitae est fiducialis apprehensio meriti Christi, & operatio vitalis est per charitatem. Non negamus, professionem fidei charitatem habere pro forma adventitia, & manere in se professionem, licet separetur ab hac forma accidentaria. At fidei salvifica forma nequaquam est adventitia & extrinseca, sed intrinseca & essentialis, nempe fiducialis apprehensio, eique caritas inseparabiliter annexa est, ut affectio propria, cuius exercitium est proprius effectus, qui consequitur fidem justificantem.

§. 7. Concludimus verbis Formulae Concordiae, quibus sententiam suam declarat, Decl. p. 588. *Vera & salvans fides in iis non est, qui contritione carent, & propositum in peccatis pergendi & perseverandi habent.* Porro, *Charitas fructus est, qui veram fidem.*

B

fidem.

fidem certissimè & necessariò sequitur. Qui enim non diligit, de eo re & è judicari potest, quod non sit justificatus, sed quod adhuc in morte detineatur, aut rursus justitiam fidei amiserit. I. Job. III.

Quæstio VI.

An Lutherus bellum contra Turcam habuerit pro injusto?

§. 1. Legitimum esse Christianorum bellum contra Turcam graviter docet Lutherus Tom. IV. Jen. Germ. Tract. vom Krieg wider den Türken. Rationes, quibus justitiam bellujus probat, assert sequentes 1. quia ex parte Turcæ est offensivum, ex nostra autem defensivum. 2. Quia Turca non legitimo titulo acquisivit regiones, sed veluti prædō Romano imperio eripuit. 3. Quia conductit hoc bellum, tum ut nostra conservemus; tum ut amissa, quantum D E U S concedit, recuperemus; tum, ut in pace & religionis sinceritate D E O serviamus; tum ut Mahometismū à limitibus nostris arceamus.

§. 2. Alibi autem cum docet Lutherus, non esse bellandum contra Turcas, non simpliciter hoc statuit, sed certo respectu, certisq; de causis, quas Bellarminus Tom. II. contr. general. lib. III. qui est de Laicis c. 16. parum candidè exagitat. Primam rationem Lutheri dicit esse, quod Turca sit flagellum D E I. Sed cum mica salis hoc profert Lutherus, nempe nisi huic flagello D E I ante omnia seria poenitentia & vitæ emendatione ac piis precibus resistatur. Vid. Lutherus Tom. d. fol. 433. Secundam rationem Lutheri ait esse, quia persecutio sit utilis Ecclesie, & propterea vim non esse abigendam. Sed iterum certo respectu hoc dictum est à Luthero, qui discriminat vocacionem per Evangelium factam, quæ est η ἡγε κλησις, Phil. III, 14.

voca-

vocatio in pace *I. Cor. VII, 15.* vocatio ad regnum DEI *I. Theß. II, 12.* ad societatem Jesu Christi, *I. Cor. I, 9.* per quam dicimus Christiani *Act. XI, 27.* Ea prorsus non armat fratres in prælia, sed docet Christum sectari in pace per fidem sub cruce. Alia verò est vocatio, qua Christiani corpore & extensis bonis subjecti sunt politico Magistratui, quam ordinacionem Evangelium non abrogat, & ratione hujus vocationis jubet Lutherus bellare contra Turcam *Tom. cit. fol. cit.* Tertiā denique rationem Lutheri dicit esse odium Papæ. At non ex odio carnali hoc statuit Lutherus, sed eatenus bellum illud improbat, quatenus Pontifex Romanus cum Episcopis contra vocationem suam bellicis deliberationibus interest, bellum illud promovet, eoq; abutitur ad explendam suam avaritiam & persequendos Lutheranos. Audiamus ipsum Lutherum in assert. art. à Leone damnatorum *art. XXXIV.* mentem suam clarè satis exponentem his verbis; *Totjam annis passi sumus nos deglubi per impostores & Legatos Romanos toties ad bellum Turcicum indulgentiis ac facultatibus impudentissimè venditis, pecuniam & substantiam nostram devorantes, quam vidimus non solum non venisse, quo mendaces illi & fallaces homines venturam promiserunt, sed etiam in turpissimas eorum libidines & pompas profusam.* Clarius *Tom. IV. Jen. Germ. fol. 391.* & *Tom. II. Witteb. fol. 524.* Solches / daß ich diesen Artikel schel- den der Pabst Leo. X. verdam̄t hat / that ich so viel desto lieber / daß ich der Römischen Büberey den Schalek-Deckel nehme / dann die Wäpste hattens nie mit Ernst in dem Sinn / daß sie wider den Türcken kriegen wolten / sondern brauchten des Türcken-Krieges zum Hütlein / darunter sie spielen / und das Geld mit Ablöf auf Deutsch-land raubeten / so oft sie es gelüfftet / wie das alle Welt wol wußet / aber nun auch vergessen ist. &c. So gefiel mir auch das nicht / daß man so hechte und reizete die Christen und die Fürsten den Türcken

anzugreissen / und zu überziehen / ehe dann wir selbst uns besserten / und als die rechten Christen lebeten / welche alle beyde Stücke / und ein iegliches insonderheit / gnugsam Ursach ist / allen Krieg zu wie derrahen.

§. 3. Non displicere Luthero simpliciter bellum contra Turcam, satis ipse docet in libr. de bello contra Turcam Tom. IV. Jen. Germ. Den Käyser und die Fürsten sollte man ver mahnen ihres Amtes und schuldiger Pflicht / daß sie gedächten mit Fleiß und Ernst ihre Unterthanen im Friede und Schutz handzu haben wider den Türcken &c. Sie treiben / und ihre Gewissen auffs höchste beschweren / wie sie GOTT schuldig seyn / ihre Unterthanen nicht so jämmerlich lassen verderben / und wie sie so grosse treffliche Sünde thun / daß sie ihr Amt hierin nicht bedenken / und denjenigen / so mit Leib und Gut unter ihrem Schutz leben sollen / und mit Eyden und Hulden verbunden seyn / nicht mit Rath und Hülffe erscheinen nach allem ihrem Vermögen &c. Liebe Herren / Käyser und Fürsten / Deutschland oder Käyserthumb ist euch von GOT gegeben / daß ihrs schützen und regieren sollet / und nicht allein sollet / sondern auch müsset / bey Verlierung ewer Seelen Seeligkeit / und göttlicher Hulde und Gnade. Nun aber sieht man wol / daß ewer keinem Ernst ist / lasset ewre Unterthanen / so euch von GOT befohlen / so jämmerlich plagen / wegführen / schänden / plündern / würgen und verkauffen &c.

Questio VII.

An in homine Christiano detur quædam ignorantia excusabilis?

§. 1. Ignorantia alia est negationis, alia privationis, alia prave dispositionis.

§. 2. Negationis ignorantia est, cum quis nescit ea, quæ per

per naturam & conditionem scire non potest. Hæc mala esse non potest, quia etiam est in Angelis & cœlitibus, qui innumera ignorant, quæ solus DEUS omniscius novit. In infantibus quoque negationis ignorantia est absque vitio: ignorant enim differentiam bōni & mali præretici *Ion. IV, ii.* quia in istam æstatulam nondum cadit electio. Ideoq; & de Christo puello hoc ipsum asseritur *Ez. VII, 15.* citra omnem naturæ ab ipso assumtæ culpationem.

§. 3. *Privationis ignorantia* est vel *bona*, vel *mala*, vel *media*. *Bona* est, cum ignorantur, quæ expedit nescire, sicut protoplasti rectè ignorarunt malum practicum ante lapsum. Hanc Christo tribuunt nonnulli secundum humanam naturam in statu exinanitionis, cum dicitur ignorasse diem extremum *Marc. XIII, 32.* ita ut defectus hic actualis scientiæ sit species quædam illius νεώτερως, de qua Paulus *Phil. II.* agit. Vid. *supr. quest. IV.* *Mala* est, cum ignorantur, quæ scire oportet, s. illa ad beatitudinem, si ad officium nostrum pertineant. *Media* est, cum ignorantur ea, quæ scire nostra nihil interest.

§. 4. *Ignorantia mala privationis* spectatur vel ratione rei ignorantæ, vel ratione actus ignorandi, vel ratione personæ ignorantia. Respectu rei ignorantæ vel est *juris*, vel *facti*: Aliud enim est ignorare, an Milo Clodium occiderit, aliud an jure occiderit. Sed ignorantia facti sæpè assert ignorantiam juris. Nam qui ignorat, an Christus mortuus sit pro nobis, necesse est ignoret, an in Christum credendum sit. Vicissim ignorantia juris sæpè trahit ignorantiam facti. Nam qui ignorat, an adorandæ sint imagines, oportet ignoret, an DEUS vetuerit eas adorare. Ex factis enim jura nascuntur. Ignorantia juris alia est *divini*, alia *humani*. Potest fieri, ut homo, qui ex lege divina didicit, obtemperandum esse ma-

gistratui, ignoret cautum esse edicto magistratus, ne quis in tempesta nocte incedat per urbem absque face, aut laterna. Ignorantia juris divini est vel ignorantia regulæ universalis, vel particularis universali contentæ. Potest enim fieri, ut qui scit furtum esse lege DEI prohibitum, ignoret sub hac regula decurrationem monetæ aut ponderis contineri.

§. 5. Respectu actus vel est *antecedens*, vel *consequens*, vel *concomitans*. *Concomitans* ignorantia non est causa effectus, sed per accidens illi conjungitur, ut si occidas hominem, quem corvum putas; ea cædes in se nec voluntaria, nec involuntaria est, & propterea, quæ talis, nec accusat, nec excusat: quæ talis, inquam, quia si gaudium ex cæde consequatur, v.g. si inimicus occisus sit, jam voluntaria est & damnabilis, non secundum se, sed ratione conjuncti affectus & voluntatis, sicut docet Aristoteles in principio lib. III. Ethic. ad Nicom. *Antecedens* verò & *consequens* ignorantia sunt causa effectus, & differunt, quia *antecedens* est involuntaria, diciturq; *antecedens*, quia voluntatis actum omnem prævenit, ut si sufficienti adhibita cautione aliquis occidit eum, quem nescivit adesse, minimè alioquin occisurus. *Consequens* verò ignorantia est voluntaria, si non in se, tamen interpretativè, quia actum voluntatis consequitur, ut, si ea quis ignoret, ad quæ scienda non adhibuit operam.

§. 6. Denique ex parte *ignorantis* ignorantia vel est *affectata*, vel *non affectata*. Illa est, cum quis studet nescire ea, quæ scire debebat, quo liberius peccet, conscientia non repugnante; hæc verò, quæ provenit ex negligentia discendi ea, quæ sciri debebant, pro cuius negligentia gradibus magis minusve damnabilis est: Nam graviore est, quæ ex supina & crassa; minor, quæ exlevi vel etiam levissima provenit negligentia, quæ in tantum minuit peccatum, in quantum minuit voluntatem.

§. 7.

§. 7. Ignorantia *prava dispositionis* est in errantibus, quando ea, quæ scire debent, depravant. Hæc conjuncta cum affectu mater est *καροτσίας*, dissidentiæ & atheismi, à qua ut liberet mundum in maligno positum Dominus noster Jesus Christus, quotidiè oremus.

§. 8. Nec rejicienda est distinctio, quā dicitur, aliud esse aliquid agere *ignorantem*, aliud *per ignorantiam*. Multi ignorantes aliquid agunt, quibus tamen ignorantia non est causa quod sic & non aliter agant. Sic ebrius percutiens obvium non id agit per ignorantiam, sed per ebrietatem, quamvis ignoret, quid agat. At si per ignorantiam aliquid agit, cui ignorantia est causa facti. Cujus distinctionis author Aristoteles *I. III. Ethic. c. I.* sic loquitur; Ἐπεγνώσκει τὸ δὲ ἀγνοεῖ περὶ τοῦ θεοῦ ἀγνοεῖται μᾶλι. In Scriptura tamen hæc distinctio quoad verba non observatur, uti patet ex *Eph. IV, 18.* & *I. Tim. I, 13.*

Quæstio VIII.

An Christus secundūm humanam naturam DEO sit æqualis?

§. 1. Communicatum esse Christo secundūm humanam naturam πάντα τὸ τηλέωμα τὸ Ιεότης, ex Paulo notum est. Possidet humana natura Christi & jam exaltata plenariè usurpat quicquid DEI est ac in DEO ενεργεῖται. Attributa DEI αὐτερεγονται, v. g. infinitudo, æternitas, spiritualitas &c. communicata quidem sunt humanæ naturæ qua κατηντο, at non quoad *τελεόντων*, quandoquidem nec in ipso DEO progradientur foras ad aliquid operandum circa creaturas. Et quia non sunt communicata quoad usurpationem, ideo nec quoad immediatam denominationem. Neque enim humana

mana natura dici potest infinita, æterna, spiritualis &c. personaliter, sicut rectè ~~τοσαύτης~~ dicitur omnipræsens, vivifica &c. interim reliqua attributa, etiam ~~αντίτοπα~~, mediatè denominant humanam naturam, quia etiam ipsa sunt communicata carni Christi quæ possessionem, & una proprietas ab altera est inseparabilis, imò, citra respectum ad operationem, Omnipotentia DEI est ipsa æternitas, ipsa immensitas. Sic Filius hominis dicitur habere æternam potestatem *Dan.*
VII. ubi mediante potestate, *ceu attributo ἐνεργήσιον*, æternitas denominat humanam naturam.

§. 2. His præsuppositis quæritur; *An humana natura, prout est habitaculum universæ Deitatis, possit dici equalis DEO?* Negant id Sadeel de verit. *hum. nat. fol. 192.* Martinius in demonstrat. p. 88. Nos distingvimus inter *rem habitam*, & *mōdum habendi*. Rem habitam quod attinet, cum idiomata divina realiter sint communicata carni Christi, hactenus non absurdum, in re habita eam *λόγῳ* esse æqualem; eadem enim Omnipotentia competit carni per communicacionem, quæ *λόγῳ* competit per essentiam. Quoad modum autem competendi est inæqualitas, & hinc naturæ etiam non exæquantur. Nam quod divina habet per essentiam, per se, ut *ἐνεργήσιον* principale, necessario, *καὶ Φύσιν*, & *ex se*; id humana natura habet per donationem factam in tempore, per unionem, ut organum conjunctum, precario *Joh XVII καὶ Κυρδανῶν*, & per participationem. Ideoq; absurdum non est, certo respectu humanam naturam & esse æqualem DEO in re communicata, & minorem in sua essentia.

§. 3. Nec nova est hæc locutio, sed & Scripturæ conformis, & Theologis Orthodoxis hinc inde usurpata. Paulus *Phil. II, 6.* inquit, *Christum non duxisse rapinam, εἴων Ἰησοῦς*, quod certè de divina natura intelligi nequit. Cum enim *rapinam*

rapinam ducere, & se exinanire Apostolus sibi opponat, non esset legitima oppositio, nisi circa idem hæc duo versarentur objectum. Affelmannus *disp. in b. l. thes. XC, XCI, XCII.* distingvit inter *euag. iorū Iēsū*, & hoc ad divinam naturam pertinere affirmat, notariq; aliquid lauū, & possessionem naturalem; & *euag. iorū Iēsū*, quod ad humanitatem restringit, notariq; ait lauū, & possessionem per unionem concessam. Conferatur Feurbornius *Fasc. III. Disp. II. thes. 56.* Et Schröderus in *Sceptro l. III. c. XIV. §.3.* Dn. D. Myslenta in *Disp. super Phil. II, 5. 6. 7. §. 18.* litem hancce inter Tubingenses & adversarios his verbis dirimit; *In hoc ex utraque parte certum est, 1. Majestatem operosam communicatam esse carni. 2. Et quidem eandem. 3. Salvis utriusque naturæ manentibus proprietatibus. 4. Diverso tamen competendi modo.* Et hinc humanam naturam non esse aqualem DEO 1. in sua essentia & proprietatibus, 2. nec in divinis attributis secundum modum competendi, cum ea non habeat per essentiam. Utrum verò ratione rei communicate precise, possit dici equalis DEO, lis est in pbrasi nuda, cum ex utraque parte certum sit, unam eandemq; esse majestatem operosam, quæ divinæ naturæ competit per essentiam, humana verò per communicationem.

Quæstio IX.

An Cramma Eucharisticum sit necessarium?

*§. 1. Veteres adhibuisse nonnunquam in Eucharistia vinum aqua dilutum non imus inficias, nec tamen vel semper vel ubique id feceruerit. Testantur enim Lombardus l. IV sent. disp. 11 lit. H & Lyraeus in *I. Cor. XI.* Grætorum Ecclesiam non addidisse aquam. Et de Armenis refert Otto Frisingensis *ib. VIII. 51 ff. c. 32.* quod per mille annos usi fuerint vino*

C

mero,

mero, sine admitione. Quin etiam in Romana Ecclesia, consuetudo hæc non fuit perpetua & universalis. Nam, ut afferit Concilium Triburicense *can. XIX.* & Polydorus Virgilius *lib. V.*, c. 10. *Platina in vita Alexandri p. v.* demum Alexander primus, Pontifex Romanus, vinum aqua miscere cepit.

§. 2. Si Pontificii mixturam hanc ut adiaphoram haberent, quadammodo eandem ferri posse existimaremus, tum quia inde Eucharistia vel integritati vel efficaciae nihil accedit, nec decedit; tum, quia in primitiva Ecclesia ob gentilium calumnias, quasi Christiani ebrietatis causa coenam Dominicam celebrarent, non merum, sed mixtum vinum adhibitum fuit. At nunc cum pro necessaria eam venditent, & contrarium statuentes anathematis fulmine feriat Concilium Tridentinum *se. VI.*, c. 7. *can. 9.* Sacerdotem quoque, qui aquam in calicem non miserit, gravissimum ac lethale peccatum committere doceant, *Catechesis Romana part. II.*, *quest. 16.* *Bellarminus l. IV.*, *de Eucbar.* c. 10. §. Porro, *Azorius Instit. Moral.* *lib. X.*, c. 30. *quest. 2.* §. *quares.* neutrum illam ferendam esse judicamus.

§. 3. In primis quia secum ipsi non convenientiunt Pontificii. *Armacanus l. IX.* de *quest. Armen.* c. 2. putat, mistionem hanc esse de essentia Sacramenti. *Egidius de Coninck de Sacram.* *quest. LXIV.* art. 7. §. 133 dicit, omnino certum esse, mistionem aquæ non esse de essentia sacramenti. Papaus *Julius distinct. II.* de *consecr.* c. *cum omne afferit*, quod calix Domini non possit esse aqua sola aut vinum solum nisi utrumq; misceatur. *Cornelius Jansenius comm. in conc. Evang.* c. *CXXXI*, p. 907. negat, mistionem istam aquæ cum vino esse absolute necessariam. *Gregorius de Valentia Tom. IV.* *diff VI.* *quest. 2.* mixturam à Christo præceptam nugatur. *Coninck l. c.* §. 135. ait, *præceptum miscendi aquam cum vino esse solum ecclesiasti-*

siaisticum. Gentilefrus *Apol. c. VIII*, §. 3. Coninck l. c. art. 8. Didacus Nugno *Tom. I. in III Thoma* fol. 260. prolixo docent, aquam immediae converti in sanguinem. At Innocentius III lib. III decret. tit. 41 de celebr. Miss. & divin. offic. c. cum Martha S. quæsivisti etiam probabiliorem asserit illorum opinionem, quia aijunt aquam converti in viuum, & viuum in sanguinem. Conf. Thomas part. III. quest. 74. art. 8. & Azo-
rius l. 6.

§. 4. Non est necessaria hæc mixtio, nec necessitate præcepit, nec finis: Non necessitate præcepit, quia Christus eam nec instituit, nec præcepit. De germine vitis in coena Christum bibisse, deq; eadem nos bibere iussisse, Evangelistæ docent Matth. XXVI, 29. Marc. XIV, 25. Luc. XXII, 18. Vitis autem viuum producit non Aquam, inquit Chrysostomus, Aquariorum πόνησαν αἰγαῖον perstringens, Tom. I. Hom. LXXXIII. in Matth. Qui prætendunt Christi exemplum ritum hunc insituentis, nihil solidi afferunt, quo id demonstrent. Ipsius Pontificii affirmant, non esse certum sed probabile tantum, quod Christus hoc fecerit. Vid. Thomas l. c. art. 6. Lyranus l. c. & Dominicus Soto in IV sententi. dist. IX, quest. 1. Nec hic est ulla necessitas finis. Nam unio fidelium cum Christo non efficitur per mixtionem aquæ cum vino, ut vult Papa Julius I. e. licet veteres per hanc ceremoniam finem istum adumbrari putarint. Aliud est representatio, aliud efficientia finis.

§. 5. Dices 1. Necessaria est mixtura illa ex præcepto Ecclesiæ Relp. Ritus ab Ecclesia mandati non sunt simpliciter necessarii, sed in se & sua natura indifferentes, nec obligant conscientiam specialiter & directe, sed indirecte tantum & generaliter. Dices 2. Necessaria est hæc mixtura, ob fortitudinem vini, præprimis in regionibus calidioribus. Relp. Modica vini etiam fortissimi portiuncula non potest nocere bi-

C 2

benti-

bentibus. In plerisq; locis vinum non adeo generosum in cœna adhibetur, & quod adhibetur, malitia ac fraude venditorum plus justo diluitur, ut mixtura opus haud sit.

Quæstio X.

An virtutes Ethnicorum & infidelium

sint opera vere bona?

§. I. Non esse, vel exinde patet, quod geminum habent defectum, spiritualem unum, alterum moralēm in specie sic dictum. Spiritualis defectus consistit in hoc, quod destinuntur tum fide, sine qua impossibile est placere Deo *Hebr. XI.* 6. tum charitate Christiana, quæ est fructus fidei, & per quam fides est *evagynā* *Gal. V. 6.* tum vero fine, qui est gloria DEI, quem nemini sine charitate assequi licet. Moralis defectus, quod aberrant à regula, quam recta ratio prescribit. Nam i. notitias de DEO insitas non vero DEO, sed creaturis applicant. Unde DEUS illis dicitur *αγνῶστος* *Act. XVII. 29.* Neq; obstat illud *Rom. I. 21.* *γνῶντες τὸν θεόν*, quia loquitur hic locus de notitia simplici, non vero applicata ad certum subiectum, nempe, DEUM patrem Domini nostri Iesu Christi. 2. operantur bonum vel malo fine, ex propriæ gloria studio, vel fine quidem bono, sed particularitatum & secundario, ut cum naturali affectu largiuntur eleemosynam pauperi, aut suspectias ferunt innocentem, quia id ipsum quoque sibi fieri vellent, non habita consideratione finis universalis & primarii, qui est gloria DEI, quem intendere tenetur, quisque bene operari intendit, juxta illud *Matt. V. 16.* *Luceat lux &c.* Propter hos defectus virtutes Ethnicorum non veræ, sed verisimiles dicuntur *Augustino l. IV. in Julian. c. 3. false Prospero in carm. XVI. de ingratis, lib. III. de vit. contemp. c. 1.*

Epist.

21

Epist. ad Ruffinum, imo & peccata propter modum, quo fiunt,
viciosum.

§. 2 b. Contra hanc sententiam pugnat Bellarminus
aliquot argumentis I. V. de grat. & lib. arb. c. 9. Primum desu-
mit ex Rom. II, 14. ubi dicitur, quod gentes legem non haben-
tes, natura quæ legis sunt fecerint. Resp. Aliud est facere
aliquid legis, scilicet opus quodammodo, (nempe quoad exter-
num cultum) legi conforme; aliud vero est, totum opus legis
requiri facere, scilicet legem implere. Prius Apostolus afferit de
gentibus, sed posterius negat v. 12.

§. 3. Secundum argumentum hoc est; Quicunq; opus suum
refert in finem proximum, is etiam implicite illud refert in finem
ultimum. At qui gentiles &c. v. g. liberalitatem ad sublevan-
dum proximum. E. & C. Resp. Concedo Maj. si recte intellig-
atur implicita finis particularis ad DEUM relatio, quæ ni-
hil aliud est, quam propositum ortum ex voluntate com-
ponendi omnem vitam ad DEI gloriam, & nihil agendi, nisi
quod conscientia voluntati divinæ congruere dictat. At
vero tale propositum non competit gentilibus, sed tantum
renatis. Ethnici possunt intendere finem proximum, ut
tamen nec formaliter & explicite, nec virtualiter & impli-
cite actionem referant ad DEUM. Instat Bellarminus; si
actio, quæ non sit in gloriam DEI, est peccatum, etiam sancti peccant,
quando non cogitant semper inter operandum de DEO. At conse-
quens est absurdum E. & antecedens. Resp. Renati agunt vel
ex carne, vel ex spiritu. Quando ex carne agunt, utiq; pec-
cant, sicut autem secundum spiritum operantur, tunc actionem
referunt ad gloriam DEI, vel formaliter & explicite,
ita ut cogitent, propterea sibi hoc esse agendum quod a-
gunt quia moveat gloriam DEI; vel virtualiter & im-
plicite, licet enim non semper actu cogitent de universali

C 3

fine

215b do dicitur an obiectus regnum & ceteris in illo regnum
fine in bonis actionibus, sed s^ep^t tantum de particulari sing^l
solliciti, tamen intentio particularis conjuncta est cum pro-
posito generali nihil faciendi, nisi quod sciunt voluntati di-
vinæ congruere.

§. 4. Argumentum tertium est; Quod DEUS remuneratur,
illud bonum est. Atque virtutes gentilium &c. sicut Ezech. XXIX,
18. Nabuchodonosori donat Ægyptum, & Romanis ob disci-
plinam bonam dedit tam amplum imperium, docente Au-
gustino l. V, de civ. Dei, c. 15. Resp. 1. Virtutes gentilium cer-
to respectu bona dici possunt, *bonitate civilis*, non *spirituali*,
& quia aliquid bonitatis externæ obtinent. Nec enim sunt
mala in se, sed per accidens ratione subjecti, cui inhärent, in-
creduli. Certe opus aliquod non inquinatur tantum à
malitia causa ut vult Bellarminus, sed & à malo subjecto,
licet ex malitia non profiscatur 2. Remuneratio ope-
rum in gentilibus pertinet ad *venedictas* DEI iuxitanis
gentiles præmiis, ut notitias insitas usurpent ad se ul-
terius querendum. 3. Notandum insuper, quod DEUS
remuneretur opera gentilium præmiis non externis, sed
tantum temporalibus,

§. 5. Argumentum quartum desumit ab autoritate Hiero-
nymi, qui com. in Galat. 1. afferit gentiles sancte agere, & Au-
gustini, virtutes illorum vocantis dona DEI Tom. III, de spir.
& lit. c. 27. l. IV. cont. Julian c. 3. & Epist. CX XXX. Resp. Loqui-
tur Hieronymus de *sanctitate civili*, scilicet honestate externali
& disciplina bona: Augustinus autem de donis, qualia per
naturam, non vero per gratiam confert DEUS.

§. 6. Deniq^{ue} ab absurdo argumentatur Bellarminus
hoc modo; Si virtutes gentilium essent opera mala, melius esset
iis abstinere. At consequens est absurdum E. & antecedens.
Resp. Valeret consequentia, si virtutes illæ gentilium
sim.

simpliciter essent mala, & non per accidens, scil. ob defec-
tum fidei, & finis vel mali, vel boni quidem sed particula-
ris tantum intentionem. In se autem virtutes Ethnico-
rum aliquid boni habent, & propterea non sunt prorsus
omittendae, quia honestant vitam praesentem & ha-
bent promissionem bonorum temporalium.

§. 7. Hoc ita clarum est, ut veritatis vi coactus Bel-
larminus l. V, de grat. & lib. arbitr. c. n. fateatur, opera gentili-
um, etiam quæ referuntur ad bonum finem particularem,
ab Augustino & aliis vocari peccatum largo modo, quia non
habent omnem perfectionem, quam habere possent. Ver-
ba Augustini l. IV, cont. Julian. c. 3. hæc sunt; Si gentilis nu-
dum operuerit, nunquid, quia non ex fide, peccatum? prorsus in-
quantum non ex fide peccatum est. non, quia per se ipsum fa-
ctum, quod est nudum operire, peccatum est; sed tali opere non in
Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Peccata
ergo nominantur gentilium virtutes & inde profecta ope-
ra, non simpliciter, sed certo respectu ab accidentaria for-
ma, quæ ipsis adhaeret, & quasi concrescit, sicut opera quo-
que renatorum bona Lutherus vocat peccata mortalia,
non simpliciter, sed ab adjacente vitijsitate, quæ est mor-
tis meritoria.

§. 8. Quapropter falsum est, quod docet Bellarmi-
nus l. IV, de justif. c. 16. opera bona fidelium ab operibus infi-
delium ex suo genere bonis hoc discrimine distare, quod
hæc sint peccata & morte digna, illa autem non. Licet e-
nim infidelium bona opera Augustino l. c. dicantur pec-
cata, quia deest illis intentio bona dirigendi ad verum
DEUM; piis vero non deest, tamen pii intentionem non
habent in eo gradu, quem lex postulat. Ita potest fieri, ut
quibusdam operibus non tantum originalis pravitas, & a-

ctuales involuntarii motus adjaceant, sed & semivoluntarii defectus pios præoccupet, cui tamen non indulgent. Sed in eo est differentia, quod infidelium operibus, quoad externam disciplinam bonis, sæpe sit conjunctus defectus contra conscientiam, v. g. auctum vanæ gloriolæ &c, & iis, quia fide carent, non remittitur, sed imputatur, ac spiritualem, tandemq; etiam, nisi ad DEUM convertantur, æternam mortem infert. Opera vero fidelium quæ talium nunquam cum peccatis contra conscientiam sunt conjuncta, cum imperfectio illorum operibus ad hærens per fidem adhuc præsentem, Christi meritum amplexam, remittatur, ac propterea mortem quidem merita sit, non tamen inferat, Vid. D. Heinr. Höphnerus *disp. V. de Justif.*


S. 9. Ut compenda rem faciam, virtutes Ethnicorum moraliter bona non sunt spiritualiter bona opera i. ratione efficientis, tum *principalis*, quia non sunt gratioso Sp. S. auxilio Gal. V. 22. I Petr. II, 5. tum *minus principalis*, quia non sunt à justificatis, Deoq; per sanguinem filii sui reconciliatis Phil. I, II. Conf. Augustinus *I. de Fid. & oper. c. XIV.* 2. ratione materiae, quia non sunt in scripto Dei verbo expresse præcepta, nec sub complexu dilectionis DEI & proximi continentur Matth. XXII, 40. c. XV, 13. Col. II, 23. Esaï. I, 12. 3. ratione forme, quia non sunt perveram in Christum fidem, vel, per Christum vera fide apprehensum. Rom. XIV, 25. Gal. V, 6. Phil. I, II. II Thes. I, II. Hebr. XI, 6. I Petr. II, 5. 4. ratione finis, quia non sunt principaliter ad Gloriam DEI Matth. V, 16. I. Cor. X, 31. Phil. I, II. Thes. I, 12. I Petr. II, 9. conf.

Augustinus *I. IV, contra Julian. c. 3. lib. V.*
de civitate d. c. 9.

rapinam ducere, & se exinanire Apostolu
ellet legitima oppositio, nisi circa id es-
tur objectum. Affelmannus disp. in b.
distingvit inter *āvā iōv īēō*, & hoc ad di-
nere affirmat, notariq; aliquid *īāvā*, & p.
& *āvā iōv īēō*, quod ad humanitatem re-
īāvā, & possessionem per unionem concessa.
bornius *Fasc. III. Disp. II. thes. 56.* Et Sc.
I. III. c. XIV. §. 3. Dn. D. Myslenta in *Di-*
§. 18. item hancce inter Tübingenses &
bis dirimit; In hoc ex utraque parte certum
rosam communicat am esse carni. 2. Et quia
utriusque naturae manentibus proprietatibus
competendi modo. Et hinc humanam nat.
DEO 1. in sua essentia & proprietatibus, 2. ne-
cundum modum competendi, cum ea non
Utrum verò ratione rei communicatae preci
DEO, lis est in pbrasi nuda, cum ex utraque
eandemq; esse maiestatem operosam, que divi
essentiam, humana verò per communicationem.

Quæstio IX. An Crama Eucharist necessarium?

§. 1. Veteres adhibuisse nonnum-
vinum aqua dilutum non imus insicias,
per vel ubique id fecerunt. Testantur e-
gent. *deß. 21 lit. H & Lyranus in I. Cor. XI.* C.
non addidisse aquam. Et de Armeni-
ensis *ib. 201 511ß, c. 32.* quod permille.



17
nat, non
versare-
CI, XCII.
am perti-
aturolem;
tariq; ait
tur Feur-
Sceptro
II, s. 6. 7.
s his ver-
atatem ope-
3. Salvis
rso tamen
ē equalem
tributis se-
gentiam.
ci equalis
sit, unam
mpetit per

charistia
vel sem-
rdus *l. IV*
eccliam
o Frisin-
rint vino
mero,

011

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.